Henric.Theod.Roetscher

Disquisitionis de
Aristophanei
ingenii principio
pars prior.

Disquisitionis de Aristophanei ingenii principio, pars prior

Roetscher

LGr
A716
.YroeD

DISQUISITIONIS
DE
ARISTOPHANEI
INGENII PRINCIPIO
PARS PRIOR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI
UT SUMMI
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXV.
HORA XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRIC. THEOD. ROETSCHER
MARCHICUS

OPPONENTIBUS:
AD. TRENDELENBURG, PHILOS. STUD.
FR. SANDER, PHILOS. STUD.
C. I. JACOBI, PHIL. DR.

243028
12. 4. 30

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII

Ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν μὲν οὐ δυνατόν.

Plato de legg. p. 816. Steph. (757. Bekker.)

Solent saepe viri docti in tractando antiquitatis scriptore, a laudibus incipere, neque quidquam omittere, quod illius gloriam possit augere. Quod duas faciunt ob causas. Nam et summum esse artis criticae putant, verba et velut interjectiones proferre, et officium esse maximum, quidquid occurrat in antiquitate, laudibus cumulare, neque unquam audent vituperationem in ullum antiquitatis auctorem conjicere. Quemadmodum vero interjectiones linguae sunt primordia, ibique proferri solent, ubi cogitatio abest, sic hujusmodi laudes nihil prosunt extollendo scriptori; ac dum nihil antiquius sibi habendum censent, quam ut universam antiquitatem celebrent, ipsam artem criticam negligunt, cujus caput est, cognoscere, quomodo sese habeant res cum notione et idea comparatae.

Cogitanti mihi saepenumero de Aristophanis natura et ingenio talia in mentem venerunt. Perraro enim viri docti ad pervestigandam ejus na-

turam sese converterunt, et cum fecerunt, nihil fere quam locos communes de eo protulere. Sed fieri solet, ut difficilia et latentia negligantur, levia et detecta recoquantur. Quod exemplis longe repetitis probari non necesse; satis sit meminisse Platonis dialogorum, quorum gravissimos et summa vi dialectica praestantes, ut Parmenidem, Sophistam, Theaetetum, Philebum rarissime studio dignos habuerunt viri docti, cum dialogis longe inferioribus eximia contigerit diligentia. Omnium autem poëtarum, qui antiquitatis gloriam auxerunt, neminem tot variis causis accuratissima tractatione dignum censeo, quam Aristophanis ingenium. Aetas, qua vixit, universae antiquitati praestitit artis, scientiae, eloquentiae splendore, et cujusvis generis ingeniorum ubertate; civitas in qua floruit, celeberrima, genus in quo excellebat, sua ipsius natura unicum neque unquam renovatum. Quae memorata ad introspiciendam Aristophanis naturam valde alliciunt, et cupiditatem excitant, eum intelligendi, et universam poetae naturam cogitatione in lucem proferendi. Nullius quidem antiquitatis scriptoris natura tam difficilis est cognitu; non enim, quid sibi velit, aperta oratione declarat, non fabulam quandam explanat, sed sublimia, grandia, vilia, scurrilia variant, dulci et aspera oratione promiscue utitur. Ubi te ad sidera tulerit, ex sublimi sede statim detruderis; ubi fatua

et vilia aegre feras, sagacissimus et elegantissimus lepos statim te delectat. Quae commixta sibique repugnantia jam inde ab antiquissimis temporibus judicium de poeta turbarunt; neque prius, mea sententia, omni ex parte cognosci potuerit, quam disjecta illa et adversis frontibus opposita vinculo quodam communi conjungantur, et summus comicus notione, quae est aeterna et immutabilis, perspiciatur. Quo facto, conturbata illa, et quae inconvenienter composita videbantur, summum potius consilium ostendent, et disrupta membra poetae in vitam revocabuntur, ubi intrinsecus omnia cohaerent. At perspicuum est, neminem Aristophanem posse cognoscere, qui in singulis ita haereat, ut, quod omnis scientiae summum, in ideam ea non recipiat et notioni subjiciat. Nostra quidem aetate, quae in antiquitatis quoque studio ceteris praestat, accuratior quaedam poëtae ingenio indagatio contigit, potissimum quidem ad Nubes spectans, ut discrimen, quod inter Aristophanis naturam et Socratis ingenium insuperabile esse videretur, tollerent critici. Sed, quum Nubes tantum pervestigarentur, neglectis Socratis et universae Graeciae praecipue Atheniensium tunc temporis rei publicae principiis, aliarumque poëtae comoediarum cura postposita, factum est, ut in contrarias sententias dilaberentur viri docti, et opinioni campus praeberetur vel amplissimus. Quantum vero

τὸ δοξάζειν in scientia valeat, cognitum puto viris doctis.[1])

De Aristophane judicia.

Perlustranti mihi judicia momenti alicujus de Aristophane poëta, quae tanquam historiam quid de eo diversae senserint aetates, praebent, primum mihi summi philosophi Platonis antiquissimum et gravissimum occurrit. Tria potissimum sunt, quae mihi quidem sinceram philosophi erga Aristophanem venerationem declarant.

Primum est epigramma illud notissimum,[2])

---

1) De opinione legas gravissimum Platonis locum in libris de republica V, p. 477. usque ad finem (III. I. p. 267. Bekk.), ubi inter *ἄγνοιαν* et *ἐπιστήμην* opinionem sedem habere contendit.

2) *Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται, Διζόμεναι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους*: ex Thoma Magistro in vita Aristoph. p. XIV. et Olympiodoro in vita Platonis. Ex vita Platonis e Cod. Vindobonensi edita in Bibl. Liter. et Art. Fasc. V. p. 11. assumsi *διζόμεναι*: vide Iacobs. in animadvers. ad Anthol. Palat. append. nr. 63. Quamquam in hujus epigrammatis lectione magna exstat variatio, nusquam tamen de auctore ipsius epigrammatis dubitationem inveni excitari, nedum gravibus testimoniis alii cuidam Platoni illud tribui. Neque viris doctis assentiri possum, qui putent, verba epigrammatis spectare ad habitum et consuetudinem familiarem comici, in qua magnam urbanitatem et morum amabilitatem ostenderit. At primum praeter Platonis convivium, in quo quam lepidissime introducitur, nusquam quidquam de

in quo orationis venustatem et compositionis elegantiam laudat. Quemadmodum hoc Platonis testimonio summa Aristophanis in oratione venustas et urbanitas probatur, sic consortium illud in Platonis convivio urbanissimum et familiarissimum philosophi sententiam de Aristophanis honestate declarat. Nunquam enim a Platone institui potuisset, ut consociaret venerandum Socratem cum inimicissimo ejus, et jucundissimum cum eo fingeret sermonem. Non enim ut sophistas risui eum permisit, sed praeclarissimam de amore sententiam sub specie lepidissima, secundum morem suum, proferentem finxit. Quae cum satis aperiant quid Plato de Aristophane senserit, non dubito, tertio quoque, quod exstat Platonis, testimonio, momentum maximum tribuere. Narrant enim, Platonem Dionysio tyranno, Atheniensium rempublicam cognoscere cupienti, Aristophanis misisse comoedias, et praecipue *τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν*. Quas si satis perceptas haberet comoedias, rempublicam quoque eum esse cogniturum. 3) Hoc

---

habitu familiarisque consuetudinis gratia accepimus; deinde tantam in compositione venustatem, tantam orationis suavitatem et elegantiam comoediae ejus spirant, ut nulla sit dubitatio, quin huc Platonis in epigrammate verba referenda sint.

3) Anonymi vita Aristophanis in edit. Küsteri et Beckii p. XXXVII. Verba sunt: *καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν.*

vero cur, obsecro, fecisset Plato, nisi totius Atheniensium vitae illum habuisset gnarissimum, et vel Nubes misisset, quae primo obtutu Atheniensium vitam et rempublicam non tam spectare videntur quam ceterae, plane vero perspectae, universae Atheniensium vitae cardinem declarant. Sunt denique, qui scribant, Platone mortuo, in lectulo ejus Aristophanis et Sophronis, quos maxime diligeret, opera esse inventa. [4]) Quae tamen Platonis de Aristophane testimonia memoriae tradita sunt, oportet, cum ad finem processerit disputatio, magnum, quod initio obtinerent momentum, amittere, et magis supervacanea fieri, cum ex intima necessitate, quae notione continetur, gravius et ponderosius erui debeat testimonium Platonis erga Aristophanem venerationem aperte ostendens. Semper enim fit, ut necessitate intrinsecus ex notione petita, testibus singulis, quibus prius fides nitebatur, magis magisque supersedeamus.

Iam vero alius scriptoris Graeci de Aristophane judicium, Platoni omnino contrarium, nobis obstat, quod turbare posset philosophi senten-

---

4) Olympiodori vita Platonis p. 78. ed. Fisch. in quatuor Plat. dial. Euthyphr. etc. ἔχαιρε πάνυ καὶ Ἀριστοφάνει τῷ κωμικῷ καὶ Σώφρονι, παρ' ὧν καὶ τὴν μίμησιν τῶν προσώπων ἐν τοῖς διαλόγοις ὠφελήθη. Λέγεται δὲ οὕτως αὐτοῖς χαίρειν, ὥστε καὶ ἡνίκα ἐτελεύτησεν, εὑρεθῆναι ἐν τῇ κλίνῃ αὐτοῦ Ἀριστοφάνην καὶ Σώφρονα.

tiam, nisi judicii auctoritatem elevare possemus. Plutarchum dico, qui in comparatione Aristophanis cum Menandro [5]) acerrime illum increpuit, neque compositionem solam vituperavit, sed formam universam, jocum nempe servilem prae se ferentem, ut scilicet plebi placeret rudi ejusque impudicitiae indulgeret. Plutarchus autem ab antiquitate tempore Aristophanis florente, et temporis spatio et suo ipsius ingenio longissime distabat, cum mores atque indoles illius temporis plane evanuissent, et ipse in operibus, quae deflorescente Graecia enata essent, acquiesceret. Alia ex parte Plutarcho non contigit, ut quae praeterito tempore perfecta jam evanuissent, eorum imaginem notione et cogitatione repraesentaret. Qua ex causa contemplatione Graeciae florentis extrinsecus facta a Plutarcho, necesse erat, ut ab antiqua illa comoedia, a qua, nisi plane temporis populique percepto principio, nos etiam abhorremus, taedio quodam afficeretur, recenti comoedia delectaretur. Plutarchus igitur, quum turpibus sui temporis moribus et Graecorum pravitate vehementer doleret, singulorum tantum virorum egregie factis gaudebat eorumque vitas tanquam solatium perturbati animi conscripsit, et si quid tunc temporis antiquam honestatem spirare videretur, magno am-

5) T. IV. P. I. p. 421 — 427. ed. Wyttenb.

plectebatur ardore; in Aristophane legendo haerebat saepe in singulis, neglecta, qua universum genus continetur, notione. Hoc de Plutarcho nobilissimo viro judicium ex scriptis ejus non raro firmatur, praecipue in rebus ad religionem spectantibus, ubi primam saepe et antiquam narrationem et fabulam in recentem et frigidam commutavit, aut plane rejecit[6]) Hisce dictis vero Plutarcho ab auctoritate, quam in rebus historicis obtinet locupletissimus auctor, nihil detrahi, nemo non videt. At juvat contrarium Dionysii Halicarnassensis judicium commemorare, viri in scriptis quae ad antiquitates Romanas pertinent non semper summa digni fide, cum non raro ad antiquissima tempora et reconditam antiquitatem suas referat sententias et rationes ex aetate qua vixit haustas, in rebus contra rhetoricis et ad ar-

---

[6]) Huc pertinent etiam Plutarchi de antiqua et nova comoedia in vita Periclis verba c. 13.: *καὶ τί ἄν τις ἀνθρώπους σατυρικοὺς τοῖς βίοις καὶ τὰς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίας, ὥσπερ δαίμονι κακῷ, τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθύοντας ἑκάστοτε θαυμάσειεν.* Ceterum qua levitate Atticam comoediam ut malignam et obscoenam rejecit, eadem in rebus religiosis usus, ubi de Apollinis apud Admetum servitute loquitur, plane inania profert, (de defect. oracul. 15. p. 324. ed. Hutten,) cum nec mythis sibi satisfacere possit, nec, quae iis subest, notionem cognoscere valeat. Disputatio de gloria Athenien s. eodem modo ratiocinationes extrinsecus petitas continet. Cum hoc de Plutarcho judicio Niebuhrius quoque consentire videtur in Hist. Romana I, 152, et praecipue II, 253.

tem spectantibus gravissimi judicis. Hoc igitur sensu praeclare cognovit Atticam comoediam una cum ridiculis seria prae se ferre: art. rhetor. p. 302. ed. Reiske: *Ἡ δέ γε κωμῳδία ὅτι πολιτεύεται ἐν τοῖς δράμασι καὶ φιλοσοφεῖ, περὶ τὸν Κρατῖνον, καὶ Ἀριστοφάνην καὶ Εὔπολιν τί δεῖ καὶ λέγειν; ἡ γάρ τοι κωμῳδία αὐτὴ, τὸ γελοῖον προστησαμένη, φιλοσοφεῖ.* Reliqui Graeciae antiquitatis momenti alicujus scriptores, qui Aristophanis mentionem faciunt, ad formam praecipue aut unice spectarunt, nisi forte Aelianum excipias, qui aeque ac Plutarchus malignum censet poëtam et vilem, quod mercede accepta Socratem in Nubibus tam prave traduxerit. [7]) Sed cui in re tam gravi Aelianus, qui quaecumque narrat tanquam plaustris convexit, unquam dubitationem excitaverit? Lucianus quoque, quamquam facetissimum Aristophanem censet [8]) poëtam, quod probant verba ex

---

7) Aelian. V. H. II, 13.: *Ἀριστοφάνην τὸν τῆς κωμῳδίας ποιητὴν βωμολόχον ἄνδρα, καὶ γελοῖον ὄντα καὶ εἶναι σπεύδοντα, ἀναπείθουσι κωμῳδῆσαι τὸν Σωκράτην*: et paulo post: *εἰκὸς δὲ καὶ χρηματίσασθαι ὑπὲρ τούτων Ἀριστοφάνην* etc. Hanc vero de Socratis irrisione Aeliani sententiam jam dudum viri docti refutarunt. Vide Palmerium et Spanhemium in Praef. Aristoph. ed. Küsteri. Meiners Gesch. des Ursprungs, Fortg. u. Verfalls der Wissensch. II, p. 476. Harles. Progr. IV. de argumento comoediae Aristoph. Nubes inscriptae scopoque Comici. Erl. 1787.

8) Lucian. bis accusat. T. VII. p. 95. ed. Bip. *εἶτά μοι ἐς τὸ αὐτὸ φέρων συγκαθεῖρξε τὸ σκῶμμα, καὶ τὸν ἴαμβον,*

Aristophanis comoediis desumpta, quae suae interdum inserit orationi, tamen propter Nubes malignum habere videtur. [9]) Longinus quidem in libro de sublimitate bene animadvertit, Aristophanem saepe ex vili forma ad sublime dicendi genus transire, quamquam nec veteris comoediae nec Aristophanis perspexit naturam, quum, ne vilis videretur, ad sublime dicendi genus interdum sese convertisse Aristophanem putet, et cum Euripide, in quem optime haec de sublimitate sententia quadrat, comparet. [10])

Romanorum praecipue sunt tres, qui de Aristophane judicarunt, Cicero, Horatius, Quintilianus. Sed, Horatio excepto, qui quartae satirae initio veteris comoediae severitatem praedicat, Romanorum omnino judicium ad formam tantum spectat oratoriam. Romani enim, qui ad rempublicam administrandam terrarumque orbem gubernandum omnia dirigebant instituta et artes,

---

καὶ κυνισμὸν, καὶ τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην, δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα.

9) Vide Piscat. s. Revivisc. T. III, p. 144. Bip.

10) Longinus *περὶ ὕψους. Ἀλλὰ μὴν ὅτι γε πολλοὶ καὶ συγγραφέων καὶ ποιητῶν οὐκ ὄντες ὑψηλοὶ φύσει, μήποτε δὲ καὶ ἀμεγέθεις, ὅμως κοινοῖς καὶ δημώδεσι τοῖς ὀνόμασι καὶ οὐδὲν ἐπαγομένοις περιττὸν ὡς τὰ πολλὰ συγχρώμενοι, διὰ μόνου τοῦ συνθεῖναι καὶ ἁρμόσαι ταῦτα ὅμως ὄγκον καὶ διάστημα καὶ τὸ μὴ ταπεινοὶ δοκεῖν εἶναι περιεβάλλοντο, καθάπερ ἄλλοι τε πολλοὶ, καὶ φίλιστος Ἀριστοφάνης ἔν τισιν, ἐν τοῖς πλείοσιν Εὐριπίδης, ἱκανῶς ἡμῖν δεδήλωται.*

parum erant idonei ad poësin aut exercendam aut judicandam.[11]) Quapropter Graecorum quoque poëtas, quibus operam dederant, ad oratoriam artem conformandam referebant. Unde factum, ut summus etiam Quintilianus, quo magis in tractandis rhetoricis excellit, eo inferior sit in dijudicando genere dramatico.[12]) Sunt denique qui Ioannis Chrysostomi erga Aristophanem venerationem commemorent; optimam enim in perstringendis mulierum vitiis partem ex perlegendo et pervolvendo Aristophane eum hausisse dicunt.[13])

Recentiori demum tempore viri docti majorem diligentiam adhibuerunt, ut animum ejus et

---

11) Ciceronis quaest. Tuscul. c. 1. et 2. qui quum apud Romanos nec gloria nec honos artificibus et poëtis contingeret, artes quoque et poësin apud eos non floruisse contendit. At non debebat sejungere honorem, quo in Graecia fruebantur poëtae et artifices, a flore, quem ibi consecutae sunt artes. Romani enim, ad ea, quae graviora sibi videbantur, vires et ingenium tendebant, eadem summo afficiebant honore; quae contra ex sua ipsorum natura negligebant, artes ac poësin, easdem nec honore nec gloria ornarunt.

12) Hoc de Quintiliano judicium multa probant exempla. Terentii scripta elegantissima plus censet habitura gratiae, si inter versus trimetros stetissent. vid. Instit. X, 1 100. et Bentleji schediasma Terentian. p. VIII.

13) Vita Aristophanis a Nicod. Frischlino conscripta p. XLV. ed. Beck.

ingenium perspicerent, et utrum vera essent an falsa Aristophanis de tot viris judicia cognoscerent. Nostrae praecipue aetati contigit, ut supra monui, ut, quemadmodum magis magisque cogitationem et notionem adierunt viri docti, in antiquitate quoque pertractanda, singula notioni vindicare studerent. Una vero ex Aristophanis comoediis Nubes, in qua innocentissimum et religiosissimum totius Graeciae virum acerrime perstrinxerat comicus, jam dudum scrupulum excitaverat viris doctis. Fuerunt, neque nostra aetate desunt, qui ingeniosissimum quidem haberent Aristophanem, sed ad quamvis malignitatem exercendam promtum, dummodo risui praeberet copiam. Alii vero in perlegendo poëta persuasum habuerunt, Aristophanis contra Socratem exacerbationem, cum ea, qua in alios homines usus sit, nullo modo congruere. Qua re magis magisque conturbati, dum id agunt, ut inextricabile illud impedimentum solvant, et ab omni animi turpitudine purgent poëtam, duas necessario secuti sunt vias. Altera enim pars opinabatur, non Socratem ipsum philosophum risui fuisse permissum, sed Sophistas inprimis sub specie Socratis esse traductos. Quam sententiam primum excitatam a viro singularis judicii et incredibili fere doctrinae copia instructo,[14]) multi viri docti se-

14) Lessing's Dramaturgie. 2, p. 305.

cuti sunt; neque nostris temporibus plane est rejecta. [15]) Facillime enim sic sibi satisfecisse videbantur, tum malignitatis et injustitiae crimen ita ab Aristophane removentes, tum, quaecunque in Socratem protulerat comicus, in Sophistas quam aptissime quadrare opinati. Altera virorum doctorum pars, aliam, ut integrum servarent Aristophanem, viam est ingressa, Socratem ipsum, non Sophistas, Aristophanem perstrinxisse contenderunt, sed hinc et illinc causas petierunt, quae malignitatis accusationem aut minuere aut plane exstinguere possent. Quod cum extrinsecus tantum causas captarent, factum est, ut in sententias abirent diversissimas, et tot fere enascerentur opiniones, quot viri Aristophanem defendere studuerunt. [16]) Quorum singulas opiniones et

---

15) Hanc de Aristophane sententiam renovatam video ab I. H. Vossio in adnotationibus ad Aristophanis versionem Nub. v. 93 et v. 99. et ad Av. 995. Cum eo consentiunt Heeren in libro: Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der alten Welt. T. 3. p. 1. p. 452. Adnot. et Iacobsius in dissertatione: Ueber die Bildung der Griechen zur Sittlichkeit. (Comment. Acad. Monac. 1808. p. 20.)

16) Satis sit, virorum doctorum nomina hic commemorasse: Wieland's Versuch über die Frage: ob und in wie fern Aristophanes gegen den Vorwurf, den Socrates in den Wolken persönlich gemifshandelt zu haben, gerechtfertigt oder entschuldigt werden könne. (Attisches Museum III, I. p. 56 — 100.) Hermanni praef. ad Nubes

sententias, cum ad fabulam ipsam pervenerimus, quantum fieri licet, examinare conabimur. Attamen commemorare juvat, in omnibus illis virorum doctorum de Aristophane sententiis studium conspici, tum notionem ipsam, qua Aristophanis continentur comoediae, cognoscendi, tum, quod cum eo est necessario conjunctum, ab omni turpitudinis crimine poëtam purgandi et defendendi. Quamquam profiteor, ne Schlegelii quidem, viri sane elegantis judicii de Aristophane laudes[17]) mihi satisfecisse, cum commune illud, quo omnes Aristophanis comoediae continentur vinculum, non satis perspexerit, et intimam comici cum reipublicae principio et notione conjunctionem, quae in Aristophanis natura pertractanda et percipienda summum obtinet locum, demonstrare miro modo neglexerit. At ut paucis complectar, quae de percipienda Aristophanis natura dicta sunt, necessario factum est, ut, quo quis in antiquitate ab Aristophanis aetate esset remotior, eo minorem haberet facultatem summam ejus natu-

---

p. XXXIV—LII. F. A. Wolf in praef. ad Nub. germ. versas; Reisigius in praef. ad Nubes p. VIII — XXXI; Welcker adnot. ad Nubes p. 190 sqq. Mitchel in versione Anglica Aristophanis: preliminary discourse.

17) Schlegel Vorles. über dramat. Kunst u. Litteratur I, p. 282 — 316. Quibus addas praeclaram Solgeri censuram libri Schlegeliani in: Wiener Jahrb. VII. p. 90 etc.

ram intuendi, cum ex veteri more antiquitatis magis magisque descivissent homines, neque quidquam haberent, quo antiquitatis ideam possent metiri et comparare. Nostra igitur aetate, ubi ita est remota antiquitas, ut nisi notione et summa perscrutatione adhibita, plane deserta nobis et inanis foret, et alii sese formarunt mores et principia in quibus hominum animi versantur et vigent, necesse erat, ut quoquo modo ad cogitationem confugerent viri docti, et qua diversae antiquitatis formae contineantur notione, percipere studerent. Quae tamen cogitatio, ubi primum exorta est, extrinsecus adiit Aristophanem, et necessario contraria et sibi repugnantia protulit argumenta. Iam vero, opinionibus et causis omni ex parte formatis, intrinsecus licet Aristophanis naturam et comoediarum absolutum argumentum introspicere, ut notionis necessitate, quod antea insuperabile esse videbatur impedimentum, removeamus, et quantum ab idea absoluta et perfecta Aristophanis et reipublicae Graecae principia differant, cognoscamus. Ita hoc nanciscimur, ut sub specie aeterni et illum virum et comoediae Atticae principia perspiciamus. Nunc postquam gravissimorum illorum testium de Aristophane sententias ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem in universum tractavimus, quarum numerum doctior me sane possit augere et amplificare, ad Aristophanem ipsum et

quae ad eum pertinent principia propius accedimus.

Aristophanes cum Silenis comparatur.

Alcibiadis de Socrate sententia, similem esse eum Silenis istis, qui venustate carerent, in illa autem incomta et inornata theca deorum celarent imagines, ad Atticam comoediam, per Aristophanem solum omnium quidem longe excellentissimum nobis notam, quodammodo quadrat. Sicuti enim Silenus, Bacchi ille praeceptor, summam sapientiam sub specie comica et paene vili prae se fert, et profundam quandam severitatem una cum summa hilaritate conjungit, et haec sibi repugnantia principia in se continet,[18]) eodem modo sub effrenatissima et libidinosa hilaritate sapientiam et ideam in Aristophanis comoediis conservatam et usque in imas partes effusam videmus. Est autem summum artis, etiam ubi plane idea remota et disjecta esse videtur, tamen numquam illam dimittere et coelesti quodam vinculo partes connectere. Quam in arte plastica ironiam sese ipsam illudentem et tanquam ex densa materia sese liberantem

18) De notione quae subest Sileno vide summi Creuzeri dissertationem de Sileno in Studiis Vol. II. p. 131 etc. et p. 310, et ejusdem Symb. et Mythol. III. p. 200. etc.

rantem in Silenorum forma praeclare cognovit Schellingius.[19]) Me quidem non fugit, difficillimum esse, corticem illam acerbam penetrare et tanquam dissolvere, ut meram possimus intueri ideam, neque ignoro, ideam nisi gravi peracto labore non posse in lucem proferri. Sed sicut sol, priusquam adsueverunt oculi, non sinit se conspici, sed ad umbras tenebrasque nos repellit, cum vero primum dolorem vicerunt oculi, cum gaudio et admiratione intuemur solem, et quo prius debilitati erant oculi mire nunc delectantur, eodem modo primo obtutu offendit Aristophanes, natura vero Atticae comoediae perspecta, admirabili vi nos allicit, neque unquam nos ad umbram, qua antea continebamur, detrudi patitur.

De poëseos cum rebus politicis apud Graecos nexu.

Fieri non potest hac in dissertatione, ut, quod est historiae graecae poëseos, originem et naturam comoediae atticae antiquae intima notionis necessitate deducam. Quare sufficiat, viam,

---

19) Schelling über das Verhältnifs der bildenden Künste zur Natur. „Wie die bildende Kunst sich selbst parodirend in dem Uebermaafs der Silenenbildung umkehren und durch die spielende scherzende Behandlung selbst von dem Drucke der Materie befreit sein kann."

quam inde ex antiquissimis Graeciae temporibus iniit et percurrit poësis, usque ad Atticae comoediae originem et fastigium, quantum opus nobis videtur, quam paucissimis indicare. Satis enim sit dixisse, inter politicas Graeciae mutationes civitatisque formas, et artis et praecipue poëseos genera, tam artum reperiri nexum, ut reipublicae forma in aliam mutata, poëseos quoque genus illi civitatis formae aptissimum in aliud transierit genus, quod recentiori reipublicae formae et naturae responderet, ita quidem ut mutatione facta et perfecta poëseos civitatis idea in hoc tanquam in speculo adumbrata conspiceretur. Apparet igitur, tribus illis reipublicae Graecae formis, monarchiae heroicae, aristocratiae, democratiae, quam maxime respondere poëseos genera, epicum, lyricum, dramaticum, quorum ultimum in tragoediam et comoediam necessario sese divisit. In tragoedia chorum videmus universi populi conscientiam sententiis proferentem, a quo agentes personae ita sunt segregatae, ut ex sua ipsarum voluntate et judicio consilia capiant et agant, neque aliena quadam vi, sed suo ipsarum facto, animique affectione, quae cum facto necessario et intimo vinculo est conjuncta, quod Graeci *πάθος* dicunt, intereant; quorum interitu ethica vis elucet, idea integra et sana prodit, seseque manifestat. Iam vero discrimen illud, quod in tragoedia exstat inter subjectum agens et chorum,

qui universam profert populi conscientiam et tanquam substantiam repraesentat,(substantia vero in eo est posita, ut singulares personarum voluntates, earumque rationes et certamina sine animi affectione et actione in se contineat) in comoedia exstinguitur, et evanescit, quoniam subjectum, quod in tragoedia a spectatoris conscientia erat remotum, in comoedia cum iis, qui spectant, unam eandemque prae se fert conscientiam.[20]) Quare fit, quum in persona quae agit sese ipsum conspiciat populus, ut sese ipsum etiam illudi et rideri intelligat. At de se ipso non solum facetias perferre, sed etiam exsultanti gaudio irrisionem sustinere, summa est animi hilaritas et tanquam levitatis extremum. Sic gaudium illud effrenatissimum in conspicienda comoedia ortum, et extra omnem fere modum abrepta et velut absoluta hilaritas perfecta est, quae nulli unquam contigit populo, neque unquam contingere potuit.

Ex his quae de nexu rerum politicarum cum arte poëseosque generibus abstracte tantum memorata sunt, apparet, comoediam Atticam tum primum florere potuisse, cum summum respublica attigisset fastigium. Summum autem reipublicae fa-

20) Iuvat proferre summi viri verba: Hegel Phaenomenologie des Geistes. S. 697. „Das eigentliche Selbst des Schauspielers fällt mit seiner Person zusammen, so wie der Zuschauer, der in dem, was ihm vorgestellt wird, vollkommen zu Hause ist, und sich selbst spielen sieht."

stigium, interitus simul est initium. Quaecunque enim velit et sciat respublica, ad existentiam proferre, ita ut ea, quae in animis civium lateant, etiam conspiciantur et discrimen illud inter cogitationem et existentiam exstinguatur, cujusvis gentis summus est appetitus et tanquam infinitus ingenii impetus. Hac vero populi cogitatione et notione plane in lucem prolata, exitium in civitatem irruere incipit, cui resistere vana est atque irrita opera, cum pernicies non aliunde invadat, sed sua ipsius debilitate ad interitum vergat respublica. Perfecto enim et plane conformato populi civitatisque principio, perturbationes animi, luxuria, impudicitia oriuntur, et substantiam corrodunt ac dilacerant. Nam ubi illud quod populus sibi proposuerat et cogitatione perceperat, perfectum est, subjectum sibi satisfacit et singulari voluntati indulget. Quare necesse est, ut, voluntate universali in singularem commutata, sancta, justa, honesta et quaecunque ad voluntatem pertineant universalem conterantur. At altera ex parte necesse etiam, ut perfecto reipublicae principio et ad fastigium elato, in aliud civitas transeat principium, quod secundum notionem proximum est, et ita ex sua natura est conformatum, ut in antecedentis depravatione novum illud ipsum contineatur. Cum enim idea pluribus indigeat gradibus, singula tantum a singulis populis principia et ideae momenta, in quae

omnes populi referantur animi appetitus et instituta, elaborari et perfici potest; eamque necessario induunt omnia instituta formam quae notioni populi ipsius respondeat eique sit aptissima. Atque his perfectis, eadem civitas et populus non potest perferre ingruens illud, quod jam ex antecedente exsurgit principium, sed eo potius ad interitum perducitur. Qua ex causa illi in civitate viri, qui aliud, quam quod reipublicae naturae est idoneum, persequuntur principium, pravi habentur et quodammodo seditiosi cives; et summo quidem jure. Quamvis enim factis eorum et studiis insit principium illud, quod ex intima notionis necessitate, dissoluto praecedente principio, evadit, non ignorant ii, quibus reipublicae salus cordi est, et qui noverunt, quibus institutis contineatur vetus civitatis principium, recenti illo principio et a natura reipublicae alieno, cunctae civitatis radices quassari et paene evelli. Quae in universum dicta, ad Graeciam quam maxime spectant, et praecipue ad Aristophanis aetatem. Simplicibus enim Graeciae moribus deditus, intimam erga patriam amorem in pectore alens, fidem, religionem, justitiam servans, dolore acerbo irruentem in civitatis instituta perniciem animadvertit et tristi vultu conspicit. Summo autem pulchri sensu praeditus, ad res politicas maxime instructus, pugnam inextricabilem veteris suique temporis principii et morum, iro-

nia et severitate ex profundo pectore desumtis, in comoediis suis proposuit, ut, quantum fieri posset, imminenti exitio sese opponeret. Hunc in sensum in epigrammate praeclarissimo Antipatri Thessalonicensis[21]) comoediae Aristophanis divini labores dictae sunt, et in epitaphio Diodori Zonae ipse dicitur divinus.[22])

Eadem exhibet Attica comoedia principia quam respublica.

Non ignoramus summum tunc temporis Graeciam attigisse fastigium, eamque civitatem, quae tantum ceteris antecelleret, quantum ceteri Graeci Barbaris, summam quam de se suaque natura percepisset notionem ita in lucem protulisse, ut omnes ideae partes, quantum idea secundum formam, quam in Graecia obtinuit, permitteret, essent excultae, ut religio, ars, scientia, jus et omnia, quibus idea conspicitur, eodem modo es-

---

21) Anthol. Palat. 9, 186.

Βίβλοι Ἀριστοφάνευς, θεῖος πόνος, αἷσιν Ἀχαρνεύς
κισσὸς ἐπὶ χλοερὴν πουλὺς ἔσεισε κόμην.
ἠνίδ᾽ ὅσον Διόνυσον ἔχει σελὶς, οἷα δὲ μῦθοι
ἠχεῦσιν, φοβερῶν πληθόμενοι Χαρίτων.
ὦ καὶ θυμὸν ἄριστε, καὶ Ἑλλάδος ἤθεσιν ἶσα
κωμικέ, καὶ στύξας ἄξια καὶ γελάσας.

22) Anthol. Palat. 7, 38.

Θεῖος Ἀριστοφάνευς ὑπ᾽ ἐμοὶ νέκυς, εἰ τίνα πεύθῃ
κωμικὸν, ἀρχαίης μνᾶμα χορουτασίης.

sent perfecta; neque omnino quidquam reliquum erat, quod non cum universo congrueret Graeciae principio eandemque pulchritudinis formam prae se ferret; hic enim universae Graeciae τύπος dici potest. At cum in Graecia absoluta idea nondum esset perfecta, et divina notio summa adhuc indigeret veritate, necessario accidit, ut desiderium quoddam in animis oriretur, aliud persequendi principium, quod magis cum divina notione congrueret, eamque contineret et complecteretur notionem qua Graecae formae et reipublicae principium carere videretur. Altera autem ex parte necessario factum est, ut antiquis institutis et moribus quam tenacissime insisterent viri, qui intelligerent, omne novarum rerum studium, quoquo modo eas molirentur homines, civitatis radices funditus summovere. Summo igitur jure et ex ardente erga patriam amore viri illi veteri conscientiae et mori dediti, acriter illos increpuerunt, qui a vetere principio aut declinarent, aut declinantibus saltem cogitatione et sermonibus faverent. Attica autem comoedia, cum in ea sese ipsum illudi populus exsultans hilaritate perferret, ea quoque, quae respublica sequeretur principia in scenam proferre debebat, ut verae comoediae satisfaceret notioni. Comoedia enim sub specie hilari et fere petulanti summam debet conservare gravitatem et severitatem. Iam vero respublica, cum hoc tempore duobus continere-

tur principiis, quorum alterum veteri et simplici legi obediret, alterum eadem relicta ad suam confugeret voluntatem, comoedia Attica, in qua discrimen illud inter praesentem spectatorem et agentem in scena personam, perinde ac inter tempus quo ageretur comoedia et tempus quo eam actam esse fingeret poëta, plane ad nihilum erat redactum, ea quoque principia quae omni ex parte civitatem moverent, ex sua ipsius natura in scenam introducere debebat, et ita rem instituere, ut in hisce principiis totius fabulae cardo versaretur.

De divisione comoediarum Aristophanis facta extrinsecus.

Est saepe jam repetita sententia, Aristophanis comoedias esse politicas; quae nisi, ut dixi, intelligatur, mira videri possit. Iam supra monui, rerum publicarum mutationem artissime cum poëseos generibus conjunctam fuisse, et Atticam comoediam, summum Graecae poëseos fastigium extremamque in explicatis poëseos generibus formam, cum in ea sese ipsum conspiceret populus et praesens civitatis status, tanquam lineamenta reipublicae depinxisse, et iisdem, quibus rempublicam contineri principiis. Mansonis igitur aliorumque Aristophanis comoediarum divi-

sio,[23]) quae in plures propagata est libros, in dramata politica, (Equites, Pacem, Lysistratam) in alias, quae vitia in universum et incommoda spectent, et in litterarias, (Nubes, Thesmophoriazusas) extrinsecus est petita, neque nititur earum principiis et argumentis. Nam civitas est ex una eademque idea constructa; non enim aliunde quidquam recipit respublica, sed ex suo gremio arborem gignit, quae per omnes ramos et surculos eandem manifestat radicem. Est autem philosophi, notionem summam et intimum vinculum cognoscere, quod omnia reipublicae instituta continet. Illud autem est civitatis fastigium, quum unam eandemque, quam de se cognovit et percepit, notionem omnes sciant reipublicae cives scientesque producant. Hanc sibi ipsi fidam et integram substantiam Plato quoque summum agnoscit reipublicae fastigium, disruptam vero et dissectam summum exitium appellat.[24]) Iam vero, cum quodque reipublicae institutum universam in se contineat reipublicae notionem, idemque, quam cetera, perficiat consilium, necesse est, ut uno civitatis instituto debilitato et a sub-

---

23) Manso Nachträge zu Sulzers Theorie der schönen Künste. P. VII, p. 113 — 168.

24) Plato de republ. p. 5, 462. (p. 239. Bekk.) *Ἔχομεν οὖν τι μεῖζον κακὸν πόλει ἢ ἐκεῖνο, ὃ ἂν αὐτὴν διασπᾷ καὶ ποιῇ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς, ἢ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ ὃ ἂν ξυνδῇ τε καὶ ποιῇ μίαν;*

stantia voluntateque universali segregato, non solum unum illud institutum putrescat, sed in eo universam civitatem videamus labantem. Sicuti enim in corpore, aegrotante membro, non membrum solum quod aegrotet, dolore afficitur, sed totum corpus, eodem modo in civitate quoque fit. Quanto vero artius reipublicae membra inter se cohaereant quam corporis, omnibus notum puto, qui inter imaginationem et intellectum distinguere sciant.

Summum quodque populi principium ita per omnes reipublicae partes esse diffusum, ut in singulis quoque summum illud principium tanquam in speculo possis cognoscere, ad Graecas omnium maxime quadrat civitates. Hic enim ars, religio, scientia, quibus summa et divina formatur idea seseque manifestat, cum reipublicae statu et principio tam arto vinculo erant conjunctae, ut illis corruptis et ad interitum vergentibus respublica quoque labare videretur, reipublicae autem principio degenerante, in illas quoque irrueret exitium et licentia. Ars enim et religio, et scientia in Graecia nondum erant ad discrimina satis firma excultae et perfectae, sed in unum quodammodo confluebant, ita ut ars religionem, religio artem complecteretur. Comoedia autem, omnia quae praesentiam turbarent, in conspectu sistens, iisdem, quibus respublica, contineretur tunc temporis sibi repugnantibus principiis ne-

cesse erat, quorum alterum antiquum morem sustinere studeret, alterum novarum rerum esset cupidissimum. Iam vero, quemadmodum quodque reipublicae institutum, quo sese manifestat idea, universam reipublicae notionem complectitur et prae se fert, eodem modo comoedia quoque, quamvis aliena a civitatis principiis esse videatur, universam tamen semper prae se fert notionem, et adumbratam tanquam sciagraphia quadam eam continet.

At non infitias eo, plures Aristophanis comoedias ab iis, quae politicas factiones in scenam introducunt, plane diversas esse consilio videri. Quae comoediae sine dubio adduxerunt viros doctos, ut triplicem istam divisionem, ab externa earum specie petitam, inirent. Quod si contigisset iis, ut in petulantissimo joco, in effrenata illa hilaritate, quibus niterentur principiis et quas prae se ferrent notiones, intelligerent, non latuisset eos, eadem in omnibus esse servata consilia idemque in omnibus patere argumentum.

Aristophanis comoediarum vis comica una cum comici provectiori aetate amplificatur.

Neminem Aristophanis comoedias accurate perlegentem fugere potest, iracundiam et animi vehementiam, quam in primis earum comoediarum, quae ad nos pervenerunt, Acharnensibus,

Equitibus, Nubibus animadvertimus, sensim sensimque diminui et paene exstingui, ut summa tantum levitas et dissoluta in perstringendo festivitas remaneant. Cujus rei non aliunde et extrinsecus desumere oportet causas, sed ex ipsius ingenii natura. Constat enim Aristophanem primam Equites suo nomine in lucem protulisse, postquam priores tres per alium ediderat,[25] uti ipse in Nubibus profitetur.[26] Mox, plausum et approbationem populi assecutus,[27] proximo anno (Olymp. 88,4.) statim suo nomine Equites docuit; qua in comoedia omnem iracundiam in Cleonem effudit, et ipse cum prae timore nemo ne fabricare quidem Cleonis perso-

---

25) Aristoph. Nub. v. 528. ubi memorat verbis: *ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ᾽ ἠκουσάτην,* primae comoediae, quam conscripsit, personas; conf. Schol. ad locum. Proximo anno (Olymp. 88, 2.) sequuntur *Βαβυλώνιοι,* et anno post quae prima integra ad nos pervenit comoedia *Ἀχαρνῆς.*

26) Nubes v. 529.: *παρθένος γὰρ ἔτ᾽ ἦν, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν.*

27) Schol. ad Nubes l. c. legem profert: *νόμος δὲ ἦν, μὴ εἰςελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα· ὡς δέ τινες, τριάκοντα.* At lex ex Schol. cerebro est desumta, neque unquam reperitur. Aptiorem loci interpretationem alius affert Schol. ad loc.: *οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῷ λέγειν διὰ τὴν αἰδῶ,* quam a F. A. Wolfio quoque in adnot. ad locum laudatum Nubium praelatam video. *αἰδὼς* est pudor, quo impediebatur, quo minus ob nimiam juventutem pōpuli magistrum sese exhiberet.

nam auderet, Paphlagonis partes egit, ore faecibus peruncto.[28]) At iracundiam illam et vehementiam in Pace et praecipue in Avibus hilaritati cessisse ex comoediis illis patet. In Avibus enim ad tantam in perstringendo hilaritatem pervenit Aristophanes, ut vel propter hanc ipsam proprium hujus comoediae consilium viros doctos fugerit, ac plane casum et singulas copulavisse scenas et personarum mores finxisse contenderent, ideoque in diversas abirent sententias et perinde ac in Nubibus extrinsecus ad explicandum comoediae argumentum captarent causas.[29]) In sequentibus autem fabulis levitatem et immoderatam libidinem ita amplificavit, ut a viris ad mulieres petulantissimos jocos transfer-

---

28) Huc tendit locus in Vesp. v. 1021, ubi vide Schol. explicationem.

29) Schlegelius ipse in praelectionibus supra laudatis 1, p. 311. profitetur quidem dignas esse Aristophanis Aves quae inter praeclarissimas ejus comoedias numerentur, se tamen certum aliquod consilium et finem non posse intelligere. Alii (ut Clodius Versuche aus der Litteratur u. Moral. 2, 240.) ad Deceleam Alcibiadisque consilium a commeatu Athenienses prohibendi, Aves spectare contenderunt; alii (Brumoy theatre des Grecs XII, p. 152.) poëtam hac comoedia Athenienses impulisse, ut prohiberent, quo minus Lacedaemonii sibi munirent Deceleam. Quae sententiae aliis ex causis ab aliis sunt refutatae. De consilio et argumento Avium v. excursum, ubi de praeclara illa Aristophanis comoedia pauca attuli, quae explicandae illi possent inservire.

ret, iisque primas tribueret partes. Quae amabilis et effrenata animi petulantia tantum abest, ut in Ranis diminuatur, ut ad summum fastigium elata videatur, cum ingeniosissima comici vis et infinita fere licentia vel Deum, qui comoediae praeest, risui permiserit.

Iam reliquum est, ut iracundiae et vehementiae diminuentis, hilaritatis vero et lasciviae in Aristophanis comoediis una cum ipsa poëtae aetate crescentis necessitatem ex ipsa ingenii natura perspiciamus. Natura enim ingenii animique ita est conformata, ut cum magno sit correpta dolore, et ingenti conturbetur exacerbatione, non ante provectam aetatem et labore gravi adhibito cruciatum et animi dolorem superare ac reprimere possit. Iuvenis autem strenui et magnanimi est, cum violatas et ad interitum properantes intelligat leges, religionem, artem, omnino quaecunque sancta amplectatur veneratione, ut tanquam intumescens amnis ripamque excedens in eos, quos turbatores publicae salutis habet, vim et omnem animi acerbitatem effundat. Sicuti enim vir, miseria et calamitate ingenti cruciatus, longo tantum temporis spatio iram contra fortunam reprimit, et saevientem compescit dolorem, ut a desperatione et ferocia ad tranquillitatem et patientiam paulatim declinet, et aliquando tantum animus, multis jam miseriis obtusus acerbitatem quandam emittat, eodem modo Aristopha-

nis comoediae tanquam viam, quam permigravit dolor usque dum ad hilaritatem perveniret, nobis proponunt. Aristophanes enim cum magis magisque ab antiquis et simplicibus, quibus floruisset respublica, moribus desciscentes videret animos, necessario accidit, ut gravissimo dolore et acerbitate ipse corriperetur. Iuvenis vero summa spe ac vehementissimis affectibus commotus, nondum hanc animi nactus erat vim illudque robur, ut levitate et hilaritate sola sententiam suam posset proferre. At ubi provectiore aetate, consuetudinis vi, et arte ipsa indies magis represserat intolerabilem dolorem[30]) et iracundiae obtuderat potentiam, levibus, ut ita dicam, lineamentis circumscripsit consilia et principia, et eandem ideam petulanti joco protulit. Quo fit, ut summa hilaritas in iis Aristophanis comoediis reperiatur, quas vir scripsit, subjectum vero et subjecti dolorem maxime in iis cognoscamus comoediis, quas fervente animo composuit.

---

30) Est omnino notioni artis insitum eique proprium, ubi dolorem animique cruciatum artis operibus exprimere studeas, te a dolore simul liberari et a tristitia revocari. Simile exemplum doloris sensim sensimque poësis hilaritate leniti, summus nobis praebet Germanorum poëta Goethius, qui uti ipse profitetur summam animi affectionem ingentemque pectoris cruciatum ita perfectis suis poëseos operibus expressit, ut statim opere absoluto sese a tristitia liberatum sentiret.

De obscoenitate comoediae Atticae.

Hisce adjiciantur quaedam ad obscoenitatem saepe repetitam et vituperatam Aristophanicae comoediae spectantia. Negari non potest, dictis rudibus et obscoenis nullo modo Atticam comoediam carere. Omnes igitur qui eam aut vituperarent, aut plane condemnarent, ex hac sola rerum obscoenitate convicia desumserunt; quid quod vel summus Aristoteles propter *αἰσχρολογίαν*[31]) eam notavit. Altera ex parte fatendum est, rudia illa et obscoena dicta ex ipsius generis natura promanare ex eaque enasci. Iam supra monui, Atticam comoediam plane exstinxisse et abjecisse discrimen, quod inter eos qui spectant et inter eos qui agunt in arte dramatica exstat. Quod cum esset victum discrimen, ad tantam pervenit et progressa est hilaritatem et petulantiam comoedia, quanta opus esse scimus, ut de nobis ipsis libenter et sine ira irrisionem et ludi-

---

31) Aristot. Ethic. ad Nicom. 4, 8, ubi disputat de joci urbani et agrestis discrimine: *ἴδοι δ᾽ ἄν τις ἐκ τῶν κωμῳδιῶν τῶν παλαιῶν καὶ τῶν καινῶν· τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια.* Huc pertinet fortasse lex, quam a Plutarcho inveni allatam de gloria Athen. 5, p. 91. Hutt. *τὴν μὲν κωμῳδοποιΐαν οὕτως ἄσεμνον ἡγοῦντο καὶ φορτικὸν, ὥστε νόμος ἦν μηδένα ποιεῖν κωμῳδίαν ἀρεοπαγίτην.*

ludibrium patiamur. Comoedia igitur mores praesentes et universam omnino praesentiam in scenam producit. Ut autem non aegre tulit populus Atheniensis, in comoedia se illudi et perstringi, ita non abhorrebat eorum mens a rebus vilibus et obscoenis, et ea, quae sub sensus cadunt et ad vitam communem pertinent, cynico modo explicari patiebatur. At ne quis putet, Atticam comoediam lasciviam quoque admisisse, quae inhonesta et indecora saepe obtegat, animosque ad libidinem pelliciat, dicendum est, nunquam inhonesta protulisse Atticam comoediam, ut honesta viderentur, sed potius ab omnibus illecebris denudasse indecora et turpia. Cum vero in ipsa Atticae comoediae natura esset situm, ut, cum praesentem Atheniensium vitam in scenam duceret, nulla adhibita verecundia, vilibus, quae ad vitam communem pertinerent, rebus non parceret, alia ex parte autem honesta tantum persequeretur, rudium illa et vilium rerum commemoratione tanquam instrumento utebatur, ut graviori inservirent consilio. Tendunt enim saepe obscoena illa ad infringendas et carpendas depravatas et abjectas res, quae tunc temporis auctoritatem quandam essent nactae, simul ad convellendam fidem, quam populus viris turpibus, cum cupiditatibus ejus et pravitati indulgerent, tribuisset.[32]) Ubi

32) Exempli gratia vide Equites v. 726. — 28, Vespas

enim ea, quibus homines magnam solent tribuere auctoritatem et fidem, cum vilissimis et rudibus comparantur, ad inania simul et vana reducuntur, omnisque iis detrahitur auctoritas. Hac rerum rudium cum iis, quae auctoritate quadam fruantur, comparatione et conjunctione, summa quoque poëtae patet exacerbatio, et ubi inhonesta vocabulo et specie honestatis videt obtecta, honesta autem ad infimum ordinem esse detrusa, ad pristinum statum ea hoc modo revocare studet. Eadem ex causa factum est, ut homines inhonestos et malae notae, qui dolo tamen et artificiis auctoritatem sibi arrogaverant, obscoena et agresti oratione utentes fingeret poëta, ut, quae re vera eorum esset natura et mens, plane demonstraretur. Altera ex parte personas honestas et probas non raro rudi oratione obscoenisque vocabulis finxit utentes, sed non ut morum turpium oratio vilis esset indicium, sed ut turpia et prava magis magisque apparerent, et ironiae dicta illa inservirent. Haec autem oppositio, quae horum dictorum usui inest, principiis quoque contineatur necesse est, ne temere instituta esse videatur. Eadem vidimus supra principia Atticae

v. 485, Acharnens. v 79. Altera ex parte quam maxime increpat scurrilitatem Aristophanes, quae ad solam populi delectationem tendat. V. Nubes v. 535 — 560 et 749, initium Ranarum ibique Schol.

comoediae subesse et plane consentire cum iis, quae universam tunc temporis Atheniensium rempublicam gubernarent. Non enim difficile est intellectu, tempore comoediae Aristophanicae ingens quoddam certamen hominum animos commovisse et conturbasse. Supra enim jam monui, cum omni ex parte principium quoddam sit perfectum et elaboratum, transire illud in aliud, quod notione huic sit proximum, et sua ipsius natura ex praecedente promanet. Iam vero, ubi in duo principia discedunt animi, quorum alterum radices habet in antiquis moribus et legibus, alterum novarum rerum est studiosissimum, inextricabile effici certamen, nemo non videt.

Principia Atticae comoediae abstracte commemorantur, una cum iis in quibus Atheniensium versatur respublica.

Iam vero necessarium nobis videtur, principiorum ipsorum argumentum in universum proferre, quibus Atheniensium respublica una cum Attica comoedia, quae eam in scenam protulit, continebatur, ut in secunda disputationis parte quae hic abstracte tantum adumbrata sunt, re ipsa probentur, et in singulis tum reipublicae tum artis formis confirmentur.

Ut paucissimis Graeciae principium, et quo maxime continebatur omni ex parte gloria et ho-

nor, complectar; notio hujus principii posita est in eo, quod honesta et divina altera ex parte agnoscuntur et exercentur, iisque animi obediunt, altera vero ex parte subjectum nondum ad summam libertatis notionem processerat, ut mera cogitatione et notione honestum et divinum cognosceret et exerceret. Hanc simplicem honestatem dicimus substantiam, cum divinam ideam complectatur et quoquo modo explanet, sed extrema indigeat subjecti libertate quae quaecunque velit et sciat ex sua ipsius mente et notione desumat. Qua ex causa factum, ut honestati quidem et legibus divinis obtemperarent Graeci, at non ita, ut mera cogitatione essent adducti, sed in simplici honestate, omni remota ratiocinatione, ea, quae justa sibi et recta viderentur, perficerent, et in ea acquiescerent.

Apparet autem Graecorum principium, cum legibus parerent, et honesta et divina sequerentur, mera vero cogitatione nondum sese in ideam divinam immersissent, extremaque subjecti forma adhuc carerent, nondum satisfecisse ideae absolutae et quodammodo tantum a veritatis notione abhorruisse quantum ipsa pulchritudo a veritate distat. Hoc vero, quod diximus, substantiae principium ubi in jus, in religionem, in artem, in rempublicam ipsam influxit, vel potius formas illas ideae construxit, ubique adspersa erat macula illa, quam in involuta adhuc neque plane elabo-

rata et perfecta mentis libertate posuimus, et in omnibus generibus, prouti cuique ideae formae responderent, cernebatur. Iam vero desiderium cepit animos, relinquendi illud simplicis honestatis principium, et a mera erga leges obedientia desciscendi, ut ex sua voluntate eorum quae perficere vellent judicium desumerent, et mentis libertatem, qua antea indigerent, consequerentur. At cum prima esset et nondum exculta et purgata, quae exarsit, voluntas, necesse erat, ut hoc principio simplex illa honestas ad interitum rueret et ad licentiam aberraret. Voluntas enim illa, quae antiquo relicto principio animos corripuit, tantum aberat ut factis liberam sese exhiberet, ut merae licentiae prae se ferret notionem, cujus est, perficere ea, quae cuique lubent, et quam non semel summi antiquitatis philosophi Plato et Aristoteles quam acerrime increpuerunt (ne plura afferam v. Plat. de republ. 8. p. 557. ed. Steph. p. 401. Bekk. et p. 560. ed. Steph. p. 407. Bekk. Aristot. Eth. ad Nicom. 8,10. et Polit. 5,7,22.). Quod cum intelligerent viri strenui et plane veteri mori et principio dediti, non poterant quin omni ardore exitiosum illud studium licentiae et neglectae reipublicae substantiae increparent. Alia autem ex parte Attica comoedia ipsa horum quae breviter adumbravimus principiorum imaginem nobis praebet, quam altera dissertationis parte accuratius describemus. Ars

enim et poëseos genera apud Graecos non solum divinae ideae inserviebant, sed divinam ipsam ideam perfecerunt, ita ut in artis operibus summam divinam ideam plane insculptam sentirent et in intuenda et audienda arte religiosa afficerentur veneratione. Iam vero Attica comoedia, cum, ut supra exposuimus, discrimine illo inter eos qui spectant et inter eos qui agunt plane exstincto contineretur, neque aliud quidquam spectarent et audirent Athenienses quam quae universo praesentiae responderent statui, eaque omnia risui permitti libere paterentur: necessario ipsa summa populi levitate et hilaritate continebatur, et quoniam summam prae se tulit libertatem, ipsa effrenata tanquam democratia indigebat. Quare accidit, ut crescente in Graecorum civitatibus democratiae forma, et subjecti principio subnascente, comoedia quoque florere inciperet, et quo propensior respublica esset ad democratiam, eo magis comoediae excoleretur genus. Omnes vero antiquitatis scriptores qui reipublicae principium perspectum haberent, extremam democratiam ideo praecipue vituperarunt eamque reprimere studebant, quod licentia ejus esset principium vel potius omne esset principium exstinctum, et suae quisque indulgeret voluntati. 33)

---

33) Vir democraticus igitur Platone auctore neces-

Attica igitur comoedia, tum democratia ad fastigium elata continetur, tum veterem Graeciae conscientiam ipsa complectitur et quam maxime contra omnem licentiam omniaque vitia, quae ex effrenata promanant democratia pugnat, et antiquum simplicemque morem et honestatem servare studet. Comoedia enim simul ad artem pertinet ex eaque necessario est orta; (ars autem, quae divinam procreat ideam, in Graecia religionem quoque complectebatur, artisque exercitatio et quem praebuit fructum et jucunditatem, etiam erant religiosa,) simul formam et ut ita dicam artis notionem ipsa erat transgressa. Quantum igitur Attica comoedia radices habuit in notione artis, quae pulchritudine naturali quodam fundamento, quod sub sensus cadit, nititur, ut ea quae velit et sciat exprimat, tantum ipsa religioni inserviebat et simplicem servabat fidem veteremque conscientiam. At cum altera ex parte ii qui spectarent, universam praesentiam, cui ipsi suberant, in Attica comoedia intuerentur, apparet religio-

---

sario transit in tyrannum. Plato de republ. 8. p. 562. ed. Steph. (p. 410. ed. Bekk.) Aristoteles hanc exsultantem democratiam pessimam habet depravationem (Polit. 3, 5, 4. et 4, 5, 5.) Quae quidem magis apparebunt ubi in secunda dissert. parte ad explicanda singula reipublicae instituta una cum Aristophanis de iis judicio illustrando pervenerimus.

sam fidem, qua secundum naturam suam alias apud Graecos fruebatur artis exercitatio, simul esse exstinctam et comoediam quodammodo egressam esse ex artis notione quae in Graecia obtinebat, et ex summo pulchritudinis principio; quapropter neque ab iis, uti vidimus, abhorrebat, quae ad vitam communem pertinerent, neque dictis obscoenis parcebat, neque Deos ipsos et quae cum iis essent conjuncta religiosa instituta risui objicere dubitavit; ita dum religionem illudenda ejus depravatione tueri studet, eandem hac ipsa lascivia pessumdedit. Quae cum ita sint, sequitur Atticam comoediam ad summum fastigium tum demum potuisse evadere cum simplex et antiqua honestas animos reliquisset, et quaecunque sancta olim habita erant et antiqua veneratio erga religionem laxior paulo et remissior facta esset. Apparet autem comoediam Atticam eadem hujus temporis repugnantia principia complecti, ipsamque transitum quendam formare ex arte et substantia in formam licentiae cui subjecti subest libera voluntas, et invitam substantiae excedere principium. At transitus ille Atticae comoediae ita fit, ut forma ipsa vetus transiluerit principium, conscientia autem acriter et perseveranter simplicem qua floruit Graecia, conscientiam et principium, prosequuta sit.

Partes explicantur, quas ex notionis necessitate de Aristophane disputatio debet continere.

Est mea sententia summum scientiae, si ea, quae logica et metaphysica ratione continentur, ita in rebus historicis quoque explicantur et demonstrantur, ut eadem, quae ex notione philosophica cognoscitur necessitas, ex singulis quoque, quas tractemus, formis et rebus concretis, qualescunque sint, eliciatur et ita omne inter logicas philosophicasque notiones et ea, quae historia praebeat, exstinguatur discrimen. Necessarium igitur, ut, si in sequentibus eorum quae exposuimus in singulis formis concretam, ut ita dicam, necessitatem perspicere volumus, ea non temere coacerventur, sed ita propria rei ipsius vi dialectica explicentur, ut ubi ad finem processerimus, ea, quibus totius dissertationis cardo continetur, in easdem meras notiones tanquam in fontem suum redundasse videantur unde promanaverint, et orbis instar omnia concludantur. Quod ut consilium plane perficiamus, universale reipublicae principium et tempus, quo maxime illud polluit, primum eruendum, una cum Platonis Aristotelisque quibus summa de Graeciae rebus politicis fuit scientia, judiciis. Haec excipient singula Aristophanis loca ex quibus appareat, ejusdem principii peritissimum fuisse comicum. Omnis autem progressus ita debet fieri, ut ex

abstractis singula eruantur. Quare nobis quoque ad singula reipublicae instituta progrediendum est ut intelligamus, eorum gloriam et splendorem non minus atque exitium, iisdem, quae adumbravimus niti principiis, summis antiquitatis viris testantibus et Aristophanis comoediis probantibus. Testes illos eo consilio advocamus, ut quaecunque ex philosophica ratione elicuimus, ab iis antiquitatis viris, qui eam maxime perceperunt, probentur et confirmentur. Quemadmodum vero omnes, quas cognoverimus, depravationes in singulis quoque reipublicae viris conspiciuntur, sic jam nobis ad singulos illos transeundum viros, et quomodo licentiam sequuti sint et quasi in ea excelluerint videndum. Rebus politicis ad finem perductis ad eas procedimus formas, quae ideae sunt propiores eamque plane exprimere et reddere student, cum respublica ab idea quidem non abhorreat, at tot variis ideaeque alienis et finitis rebus implicita et prope dixerim contaminata sit, ut vix semper in politicis institutis acriter et distincte possis perspicere notionem qua contineantur.

Propior ideae exprimendae est ars, quae apud Graecos, ut supra indicatum, religionem plane complectitur. Apparet autem, ad nostrum consilium duo tantum poëseos genera pertinere, quae tunc temporis maxime exercebantur, artem lyricam et dramaticam. At eadem, quam supra prae-

scripsimus, necessario ineunda est via, ut ab artis lyricae notione, et quae cum notione est necessario conjuncta, depravatione incipiamus, illasque in singulis generibus et hominibus qui iis operam dederint, monstremus oppositiones, et quomodo cum hisce ex rerum natura perceptis Aristophanis consentiat judicium, videamus. Deinde artis dramaticae, summae artis et extremi poëseos generis, principia, quantum ad antiquitatem pertinent, breviter adumbranda, et explicandum, quibus notionibus contineantur ubi in contrarias abeunt partes. At idem, quod in rebus politicis ex Aristophane cognoverimus principiorum certamen, hic quoque elucebit; sed cum omnino hic ideae simus propiores, et proximum sit poëseos consilium et studium ideam ipsam operibus suis effingendi, ac subjectum, quod arte delectatur et ex intuendis dramaticae artis operibus voluptatem haurit, simul religionem exerceat, vel artis degeneratio non tam foedam praebet et contaminatam formam, quam in singulis reipublicae institutis et in demagogis vidimus, sed semper talis est, qualis generi, in quo appareat depravatio, respondeat. Iam inde necessario sequitur ut exacerbatio quoque Aristophanis, qua hujus generis affecit depravationem, plane cum notione comparari debeat, ubi quam justissimam sese exhibebit.

Iam tertiae est disputationis partis tum in rebus politicis tum in arte poëtica gravi principio-

rum certamine perspecto, principia quae sese exhibuerunt ad eam reducere formam, quae ideae naturae quam maxime respondet, ut in mera notione principia illa sedem habere perspicue cognoscatur neque aliunde desumpta esse videantur. At philosophicam notionem, quam summam ideae formam et principiorum diximus, fontem esse nemo non videt, qui unquam absolutam notionis vim ejusque immutabilitatem percepit. Quae pars cum et in meris versetur principiis neque tamen ut prima pars abstractas repetat notiones, sed concretam ideam notione comprehendat, necesse est, ut altera ex parte ejus principii natura, quam breviter diximus substantiam, eliciatur, primum ex historicis qui in orationibus et in rerum gestarum narratione eam servarunt, deinde ex philophis ipsis Platone et Aristotele, qui consentaneam eam Graeciae cognoverunt, et non raro, exitio ingruente, summam reipublicae in tuenda ea salutem esse positam contenderunt; altera ex parte ejus, quod huic oppositum est, principii notio, quam in proprio subjecti judicio hoc est in mera libertatis forma posuimus, ex philosophia ipsa derivetur et in Socrate fuisse demonstretur, cujus tum omnia quae nobis tradita sunt dicta tum varia antiquitatis scriptorum de eo judicia, ad hoc substantiae contrarium delegant principium. Huic necesse est accedat Aristophanis cum hisce quae proposuimus comparatio in eo necessario posita,

ut notiones, quae antecedentibus ejus dictis suberant, comprehendamus, et utrum sint consentanea Socratis principio an plane ei repugnent, videamus. Quo perfecto, non erit difficile cognitu, et Aristophanis justissimam fuisse exacerbationem, quae eum adduxerit, ut in Nubibus gravia illa in sapientissimum virum tela conjiceret, neque Socrati quidquam a summo jure et dignitate detrahi. Iam vero, cum hac rei ipsius notionisque necessitate non nostra fortuita ratiocinatione ad ultimam et gravissimam pervenerimus partem, licet hinc virorum doctorum opiniones de Nubium consilio tractare, iisque quem obtinent locum assignare. In sententiis autem, qualescunque sunt, de Nubibus omnium virorum doctorum semper unum idemque insuperabile apparebit impedimentum, quo omnes sunt implicatae. Omnes enim cum Aristophanem defendere studerent, statim inviti in contrarias delapsi sunt partes, ac difficultatem vehementer auxerunt, extrinsecus colligentes causas, quae vituperationem a comico removerent. Quo magis autem notioni appropinquant, eo graviorem obtinebunt locum; cum vero nunquam sola appropinquatione in rebus, quae idea continentur et notionis cognitione indigent, veritatem nos attingere sperare possimus, omnes ignorasse apparebit, quid tandem Aristophani fuerit cum Socrate. At ne temere notio illa quam eruimus Nubibus illata videatur, singulis Nubium

partibus confirmanda est. Ac necessario tria sunt, quae in explicandis Nubibus indagare debemus, primum chori significatio et quomodo ille cum principio simplicis honestatis cohaereat; deinde quae huic oppositae sunt principio, Socratis partes; denique Strepsiadis et Phidippidis partes, quorum alter sponte ad Socratem descivit, at cognita hujus principii pravitate per filii ipsius degenerationem omni iracundia ad philosophum evertendum sese applicat, et cui vehementer deditus fuerat, exsecratur principium. Sic comoediae gravissimae explicatio, quae ut omnis comoedia summam continere debet severitatem, neque illa neglecta unquam percipi potest, hujus partis perficiet necessitatem. Tum omnia sibi repugnantia erunt pertractata et in notionis formam recepta, qua ceterae formae omnes continentur inde promanantes, quamvis non raro remotissimae a notionis ideaeque fonte esse videantur. Jam vero cum consilium nobis fuerit, ut Aristophanis perciperemus naturam, idque notionis ope hoc modo perfectum fuerit, nemo mirari poterit nos iis quoque, quibus omni exacerbatione repugnet Aristophanes, dignitatem impertiisse eorumque jus agnovisse. Ubi enim philosophica ratione aliquid percipimus, excessimus etiam illius temporis, quod perscrutamur, fidem et conscientiam, neque alterius sed utriusque partis jus et injuriam simul exposuimus; quemadmodum veteris tragoediae chorus

eorum qui agunt, et virtutem et cujus non sunt expertes culpam profert de iisque judicat, sic nos quoque utriusque partis contrariae veritatem cognoscere conamur. Hoc sensu Aristophanem dicimus universae Atheniensium reipublicae *μικρόκοσμον,* qui eadem principia, quae extensa et plane explicata in republica, arte, religione sibi repugnare conspiciuntur, comoediis suis tanquam speculo expressa reddat; et tales disputationem sequentem exhibere oportet partes, qualium membra et necessarias formas ex rei ipsius notione jam praescripsimus.

At non est dubium, quin summa sit scriptoris et generis, in quo excelluit, contemplatio et justissimum de eo judicium, cum ex temporis, quo vixit, principiis eum cognoscamus; neque minus perspicuum, summum esse scriptorem, qui operibus suis temporis quo vixit summa et intima principia conspici faciat. Apparet enim, cum intrinsecus viri alicujus cum tempore quo floruit conjunctionem perceperis, ac temporis principia et qua continentur notione erueris, et ideae non solum inservientia ea sed necessaria quoque cognoveris, sub specie aeterni tum subjectum quod perscrutemur, tum tempus, quo viguerit illud, esse perspecta.

Excursus.

De Aristophanis Avium consilio et argumento.

Vidimus supra nec Schlegelium virum elegantissimi judicii nec alios Avium consilium et argumentum intellexisse, quamvis inter praeclarissimas poëtae comoedias hanc numerarint. Neque infitias eo, primo obtutu Aves judicium posse perturbare, cum a ceteris Aristophanis comoediis plane discedere videantur. Apparet enim, in ceteris comici fabulis repugnantia sibi principia, quae in dissertatione exposuimus, ita in scenam introduci, ut illud, quod licentiam complectitur, intereat, simplicis honestatis principium servetur. Quorum nihil Aves exhibere videntur. Attamen non fugit viros doctos, magna eam hilaritate ceteris excellere, et audacissima et fere mira compositione omnibus praestare. At nonne comoediae hujus plane infringeretur vis, si consilio et argumento careret? Laudibus igitur comoediam extollere, tamen simul profiteri argumentum et consilium non posse intelligi, judicis est insipientis; forma enim eo tantum laude digna, quod argumento sit apta. Iam vero ut ad Aves revertar, neque argumento caret, neque a ceterarum Aristophanis comoediarum consilio abhorret.

To-

Totius fabulae cardo in chori et Pisthetaeri versatur partibus, quae paulo accuratius explicandae sunt. Utraque duplex praebet argumentum. Aves, quae agunt chorum, forma symbolica inconstantiam legum, mutabilitatem institutorum indicant, imaginemque nobis praebent extremae levitatis, quae perinde ac elementum, in quo versantur aves, firma et stabilia pervertit. Apud nos, aves inquiunt, pulchra habentur, quae lege sunt et moribus damnata; quod apud homines turpe habetur patrem verberare, apud nos honestum est; si quis insiticius civis, apud nos est varia avis [35]. Illud *κουφονόων ὀρνίθων γένος*, ut Sophocleo utar verbo, terrarum orbem obtinet, neque deos neque homines curat; ex mera licentia turpia, proba, honesta improba sequitur, omni abjecto legis vestigio. Hujus summae levitatis Aves praebent imaginem.

At ne obliviscaris, aves chorum agere, chorum autem universam proferre conscientiam, et ubique simplicis honestatis complecti principium, igitur honesta et proba sequi oportere. Iam quaeritur, quomodo in aves talia possint quadrare. Optime. Chorus enim, quoniam habet substantiae conscientiam, non ita summae levitatis praebet imaginem, ut plane in eam sit immersus, abjecta honesti conscientia, sed sese ipsum, ut ita

35) Aristoph. Av. 758 — 775, 791 — 804.

dicam, hac induit symboli forma, ut populo maximam praebeat copiam, suam ipsius levitatem in chori sententiis intuendi. Hoc modo autem tantum abest chorus, ut eorum quae celebrat, agnoscat veritatem, ut summam illorum inanitatis prae se ferat conscientiam [36]).

Similis ironia Pisthetaeri subest partibus. Nam ut in omnibus Aristophanis comoediis una persona necessario modo obscurius modo disertius Aristophanis profert sententiam, sic in Avibus Pisthetaerus Aristophanis agit partes. Aegre ferens reipublicae statum, Athenas relinquit, ad aves se confert, eosque omni ardore ad urbem condendam et imperium obtinendum impellit. Statim sese accingunt aves ad urbem aedificandam, quam Νεφελοκοκκυγίαν dicunt, et ad certamen cum diis ineundum. Iam vero, perfecta avium republica, cujusvis ordinis accedunt homines, urbem novam habitaturi, in eo tantum consentientes, quod in suo quisque genere licentiae indulget, et substantiae pervertit principium. At, ut supra aves exsultantis levitatis formam illudentes vidimus, Pisthetaerus etiam omni vi et exacerbatione in advenas sese convertit, eosque propellit. Neque sacerdoti, qui religione abutitur, neque poëtae, qui tumentibus gaudet versibus,

---

36) Hoc modo intelligenda sunt verba, ubi aperta oratione licentiam perstringit chorus. v. 1457 — 1480 et 1540 — 1551.

neque qui novas res de rerum natura molitur Metoni, neque plebiscitorum venditori recens conditae urbis aperiuntur fores. Seria et gravi oratione repelluntur patris occisor et dithyrambicus poëta.[37]) Chorus igitur simul licentia utitur, simul eam illudit, hujusque principii turpitudinem declarat. Apparet igitur, et aves et Pisthetaerum unam eandemque proferre conscientiam. Aves Atheniensium levitatis speciem exhibentes a Pisthetaero incitatae urbem condunt. At avium urbs in aëre structa infirma perinde ac ratio aedificationis sibi ipsi repugnant.[38]) Sicut enim reipublicae status potissimum ostendit, mores et honestas quomodo sese habeant, sibi similem aves condunt civitatem, qua in urbe ficta Atheniensium respublica ipsa tanquam in speculo conspicitur, quae quamvis exstare videatur, tamen ita est fracta, ut fere nulla sit.

In hoc autem licentiae fastigio, quod exhibent Aves, omnis erga Deos pietas et religiosa veneratio exstincta est, cum omnium divinarum et humanarum rerum sese ipsas exhibeant dominas. Dii ipsi eatenus agnoscuntur, quatenus cujusvis placet licentiae. Sapientissime igitur ab

---

37) Vide praeclarissima loca v. 1350 — 1358, v. 1390 — 1400, v. 1420 — 23, v. 1425 — 1437, v. 1455.

38) Inspicias narrationem nuntii v. 1115 — 80. v. 1162 ubi Pisthetaerus: *καὶ γὰρ ἄξιον·*

ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσιν.

Aristophane est institutum, ut urbi fictae confirmationem a Diis peterent ita licentiae permissis, ut religionis ne vestigium quidem remanserit. [39]) Ut magis illud poëtae appareret consilium, Hercules et Neptunus una cum barbaro ad foedus cum avibus pangendum mittuntur, et tam viles tamque ridiculi finguntur, ut divina natura prorsus exstincta sit. Diis autem dolo ciboque allectis, [40]) avium respublica confirmatur, Pisthetaerus Basiliam in matrimonium ducit, [41]) et hymnis omnium rerum gubernator celebratur.

Dubium igitur esse non potest, quin in hoc avium confirmato imperio Atheniensium respublica adumbrata conspiciatur et effrenatissimae licentiae praebeatur imago; praeterea summa adsit conscientia, rempublicam et omnia ejus instituta et demagogorum consilia, perinde atque avium congregationem earumque in aëre urbem sua ipsorum natura sibi repugnare, ita ut neque hoc modo tam dissoluta respublica possit consistere, et omnino de ejus salute sit desperandum.

---

39) Ante omnnia intelligas praeclarum inter Iridem deorum nuntiam, et Pisthetaerum colloquium v. 1193 — 1154 in quo quam maxime illuduntur dii.

40) Hercules, ut solet apud comicos, vorax (v. 1567 —82). Neptunus sese ipsum invocans fingitur v. 1601.

41) *Βασιλεία*, quam e coelo in matrimonium ducit Pisthetaerus, cum Iunone comparatur; idem enim in terra imperium tenent, quod in coelo Iupiter cum Iunone.

VITAE CURRICULUM.

Mittenwaldae natus d. XX. Sept. a. MDCCCII. patre divini verbi magistro matre Friderica Carolina e gente Singeriana, primis litterarum elementis parentum disciplina sum imbutus. Anno aetatis sexto decimo in Gynasium Berolino-Coloniense missus et inter tertiae classis alumnos receptus sum. Cum quinque annis post satis pa ratum me haberet praeceptores, ut primo ornatus testimonio in academiam me conferrem, autumno anni MDCCCXXI. civium academicorum ordini sum adscriptus. At quid optatius mihi contingere potuit, jam in prima Gymnasii classe mirifice antiquitatis scriptoribus delectato, quam ut Celeb. Boeckhium, qui utrum sit ingenti doctrinae copia an animi candore praestantior, nescio, statim adire, ejusque tum exegeticas tum historicas praelectiones possem frequentare. Iam vero cum semper ante oculos haberem, quomodo de rebus divinis deque rerum natura judicium mihi, quod notione contineretur, pararem, Celeb. Hegelium adii, virum non de me solum sed de universa Germania immortaliter meritum. Iam dudum Hermanni scriptis adlectus Lipsiam me contuli ut ipsum audirem celeb. virum una cum Spohnio, mox quidem litteris et amicorum complexibus erepto. Anno post redux factus, perrexi in audiendis Clariss. viris, privatis meis studiis philologicis et philosophicis nunquam intermissis, ut me ad summos ordinis philosophici honores rite adipiscendos redderem satis paratum. Neque abnuerunt viri ampliss. precibus meis; sed dissertatione pro illorum humanitate probata, et examine absoluto, dignum me censuerunt, qui summis ampliss. ordinis honoribus ornarer.

THESES DEFENDENDAE.

I. Hominis libertas tantum abest ut in antiquitatis civitatibus sit absoluta, ut vel philosophi Plato et Aristoteles nunquam eam perceperint.

II. Infinitum, nisi complectitur finitum, ipsum est finitum.

III. Neque Rationalistae neque Supranaturalistae religionis christianae principium plane intelligere possunt, sed ea solum theologia, quae redit in philosophiam.

IV. Historia philosophiae est historia necessarii progressus mentis cogitantis.

V. Operam dare, ut Deus intelligatur, maxima est animi submissio.

VI. Summus homini tribuitur honor, si, crimine commisso, poena dignus habetur.

VII. In Sophoclis Antigona tantum abest ut Creon solus sit damnandus, ut idem cum Antigona obtineat jus.

VIII. Platonis respublica non solum non eximiam civitatis speciem praebet, sed etiam a recentiorum civitatum principio longe superatur.

Aristophanes

Author Rötscher, H.T.

Title Disquisitionis de Aristophanei ingenii principio, pars prior.

A716

NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU